



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus III. De obligatione sovendi gabellas, & vectigalia &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS III.

De obligatione solvendi gabellas, vectigalia &c.

PRinceps aliquis sæcularis imponit gabellam super bonis etiam Ecclesiasticis ex publica quadam necessitate, prohibetque sub gravi pœna, nequis frumentum, vinum, aliasue merces ex territorio suo exportet, alibi distraendas, quo tamen non obstante Mucius Mercator hujusmodi vetitas merces non in exigua copia sibi comparat, easque per vias minùs notas aliò clama transferri curat, absque solutione gabellæ, quas alibi non sine magno suo emolumento distrahit, & alias ibi emptas in Urbem invehit.

QUÆR. I. An Princeps in casu necessitatis publicæ, v. g. pestis, belli &c. super bonis Clericorum ejusmodi gabellas imponere possit absque Ecclesiasticorum, & Pontificis consensu?

QUÆR. II. An fraudantes gabellas, & vectigalia justa peccent contra Justitiam, & ad restitutionem teneantur?

QUÆR. III. An, quando dubitatur de justitia vectigalis gabellarum, &c. qua de novo imponuntur, aut veteres augentur, obligatio sit, eas solvendi?

15 **A**D I. Q. suppono hîc saltem extra casum necessitatis, Clericorum personas, & loca Ecclesiastica immunitia & excepta esse è præstatione Tributorum, vectigalium, aliarumque exactionum à sæculari Principe, aliòve simili Magistratu impositarum, utpote loca, & personas à sæculari Jurisdictione exemptas, & antiquissimo utriusque juris privilegio ab hujusmodi oneribus exemptas. *R. P. Leonardelli Soc. Jes.*

ceptas, ac privilegiatas, jure quidem civili, *Auth. item nulla c. de Episcop. & Cler. jure verò Canonico c. quamquam 4. de censib. in 6. c. non minùs 2. &c. adversus Consules 7. de Immunit. c. quia non nulli 1. eod. in 6. atque ex Tridentino sess. 25. c. 20. de reform. idque adeò, ut qui ab Ecclesiasticis personis Tributa, & Vectigalia exigunt, excommunicationem ipso facto incurrant, vel pœnas Interdicti, si sit Universitas juxta c.*

C

quam

quamquam cttt. siquidem id fiat absque Indulto Pontificio, aut extra casum negotiationis Clericorum, quando scilicet hi res suas negotiationis causâ deferunt, vel transferunt, prout colligitur ex *citt. c. quamquam* per argumentum à sensu contrario desumptum. Quid autem sentiendum sit de bonis Clericorum pro casu necessitatis, patebit ex mox dicendis. Unde

16 Ad I. Q. An Princeps ejusmodi gabellas imponere possit absque consensu Cleri, & Pontificis, respondet Diana *p. 1. tr. 2. R. 40.* negativè, quia obligatio totius populi non sufficit ad obligandum Clerum, & siquidem gabella, Tributum, aliave hujusmodi exactio imponatur pro utilitate tam Laicorum, quàm Ecclesiasticorum, necesse esse amborum intervenire consensum, quia *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Cap. *adhæc de offic. Archidiacon. & reg. 29. in 6.*

17 Idem sentiunt alii communiter cum Panormit. *in cap. non minus, n. 19.* Molina *D. 672.* Laym. *l. 4. tr. 9. c. 6.* Sylvestr. Azor. Rodriq. Ledesm. asserentes, quando necessitas publica concernit directè, & principaliter æquè utilitatem Ecclesiasticorum, & Laicorum, debere tunc etiam Ecclesiasticos contribuere, non tamen ad deliberationem solum Laicorum, sed præmissa deliberatione etiam ipsorum

Clericorum. Quo in casu si Clerus absque legitima causa nollet consentire, posse Laicos implorare auxilium Superioris Ecclesiastici, ut Clericos compellat; posse autem eos compelli à Superiore Ecclesiastico, quando Collecta, gabella, vel tributum directè, & immediatè concernunt utilitatem quoque ipsorum Clericorum ut & ipsi contribuant, docent Molina *tr. 3. D. 672.* Th. Sanch. *l. 2. Consil. c. 4. dub. 55.* Laym. *l. c.* Abb. *citt. Sylvest. aliique:* Non tamen poterunt Clerici à Laicis ad solvendum compelli, prout incautè, & malè concedit Coriolanus, qui ait posse Clericos coram Judice sæculari conveniri in censibus, & tributis, eò quòd videantur potius res eorum, quàm personæ conveniri, id, quod admittunt non nulli Jurisconsulti, dumodò Judex Laicus procedat contra bona, & non contra personam Clerici. Sed, ut dixi, malè, & falsò, cum nec ratione consuetudinis, nec alio ex capite id sustineri possit. Non ratione consuetudinis, ut tenet communissima DD. sententia apud Ills. utpote quæ corruptela est, & reprobata per Canones, ipseque summus Pontifex singulis annis in Bulla Cœnæ Domini expressè abrogat omnem consuetudinem, quæ derogat immunitati Ecclesiasticæ, adeo, ut contra hanc nullo tempore præscribi possit ut notat Molina *l. c.* & patet ex *Auth. cassa c. de sacrosan. Eccl. c. non minus de Immun. Eccles.*
Nec

Nec alio ex capite; nam hoc ipso, quòd persona Clerici exempta sit à Laicali Jurisdictione, exempta sunt etiam ejus bona, cum hæc semper adhæreant personæ Clerici, ut observat Suarez cum aliis *l. 4. c. 2. 4.* & indicatur etiam leg. quæ Religiosis *42. ff. D. V. quæ Religiosis adhærent, Religiosa censentur*, & ideo tunc dicitur persona perfectè, & integrè exempta, quando etiam bona illius sunt exempta. Huc facit etiam illud Apostoli ad Rom. *13. subditi estote, ideo enim tributa præstatis*; scilicet in signum Jurisdictionis: ergo qui à Jurisdictione sæculari sunt exempti, etiam horum bona à tributis erunt exempta, ab iis scilicet, quæ à Principibus Sæcularibus ex vi solius Jurisdictionis imponuntur, non jure proprietatis; unde bona Clericorum subiecta manent oneribus & tributis realibus, quæ ex vi cujusdam pacti, vel conventionis imposita sunt bonis antequam ad Clericos devolverentur, cum res transeat cum onere suo reali. Nec obest suprâ dictis, quòd bona Clericorum sint temporalia, & civilia, atque adeò respiciant Clericum, non ut Clericum, sed ut Dominum temporalem, vel civem; quia ille non tantum exemptus est ut Clericus, sed etiam ut Civis, seu simpliciter ejus persona exempta est, & consequenter etiam ea quæ illi adhærent, ut notat *citt. Suarez.*; quæ enim Religiosis adhærent, sunt Religiosa *l. Religiosis citt.* & quæ Ecclesiasticis

Ecclesiastica; res quippe, & bona sunt accessoria personæ possidentis, *arg. leg. in pecudum ff. de usur.* atque ideo forum sequuntur personæ possidentis, *arg. l. 2. Cod. de Episc. & Cler.* unde Clericus non tantum personali, sed neque reali actione conveniri potest coram Laico Judice, ut tenet communissima DD. & colligitur ex variis Juris textibus. Neque obest, quòd talia bona Clerici à sæcularibus acceperint, & antea hujusmodi oneribus subiecta fuerint; nam cum persona possessoris, quæ excepta est, mutata etiam fuit qualitas, seu conditio rei personæ adhærentis. Id, quod sumitur ex *c. quamquam de censib. in 6.* aliisque suprâ citatis. Neque obstant hæc aliquæ leges civiles, uti *lex de his de Episc. & Cleric. lex ad instructiones 7. lex placet 5. Cod. de SS. Eccles. &c.* Statuentes, ut tributa solvantur etiam à Clericis ex bonis temporalibus, quando generaliter omnibus bonis sunt imposita; nam hæc leges, *citt. & aliæ revocatæ, & abrogatæ* fuerunt per Constitutionem Friderici Imperatoris in *citt. Auth. item nulla &c.* imò & ante hanc invalidæ, & nullæ fuerunt, utpote, in materia Ecclesiastica & in præjudicium Ecclesiæ disponentes, ut notat Suarez *de immun. c. 21. n. 16.* Porro an in casu necessitatis publicæ, quando necessitas directè, & immediatè æquè respicit bona Ecclesiasticorum, ac Laicorum, consulendus prius sit summus Pontifex, affirmativè

rivè respondet Mendo *Verb. Eccles. Immunit. n. 10.* qui ait Ecclesiasticos non teneri contribuere ad constructionem murorum, pontium, apertionem fontium, & similia; quia eâ utilitate solum gaudent secundariò, & ex consequenti, prout sunt domestici in illa Republ. sed solum contribuere debere ad ea, quæ primò, ac per se sunt bona communia æquè Ecclesiasticis, & sæcularibus, debitis conditionibus præeuntibus! numero tamen septimo monet, non æquè Ecclesiasticos ac sæculares teneri ad expensas tempore belli; putat enim imprimis ad sæculares præcipuè, & immediatè pertinere dare ejusmodi collectas, & remotè, ac minùs principaliter ad Ecclesiasticos, quatenus sunt membra Reipubl. & antequam Ecclesiastici subveniant de bonis suis, vult consulendum esse Pontificem, cui suffragatur *Lug. l. 5. Respons. moral. dub. 3.* ob facultates petitas, & concessas in hujusmodi casibus à Clement. VIII. & Urban. VIII. qui non absolutè, sed cum limitatione concesserunt quibusdam Civitatibus, ut collectæ etiam ab Ecclesiasticis solvantur, non absolutè, ut dixi, sed cum hac limitatione, ut prius fiat discussio bonorum Laicorum, constetque illa non sufficere, ut commodè soli Laici solvere possint. Ut adeò videatur mens eorum fuisse, ut in hisce etiam casibus Ecclesiastici solvere non teneantur, nisi in defectum facultatum Laicorum.

Verùm ut summus Pontifex pri- 18
 ùs consulatur in casu specialis necessitatis, quando necessitas directè, & immediatè æquè respicit bona Ecclesiasticorum, aut periclitatur commune bonum, negat Diana *l. c.* ubi dicit, sed notandum est, quòd in hujusmodi casibus non habeat locum *cap. adversus* de consultatione Rom. Pontificis. Id ipsum docent Sylvest. V. *Immunitas n. 20.* Laym. *l. c.* Molin. *l. c.* Ludovic. à Gandavo, Panormitan. & alii. Moventur, tum quia necessitas non habet legem, ex qua etiam fit, ut tempore necessitatis nullus Ecclesiasticus excusetur à murorum vigiliis, quia in necessitate cessat privilegium ait Gloss. *in c. pervenit de Immunit. Eccles. & Panormit. n. 6.* concludit, in magna necessitate, si aliter Civitas defendi non possit, etiam Clericos obligari ad vigiliis, idque naturali jure. Tum quia Concil. Later. in dicto *cap. non minus* loquitur solum de necessitate, aut utilitate publica, id est, per se, & principaliter pertinente ad ipsam Communitatem, seu Rempubl. cujus Clerici membra quidem sunt, sed privilegiata, atque exempta; in posito autem casu, sermo est de iis circumstantiis, ubi specialiter vertitur periculum etiam ipsarum Ecclesiarum, & bonorum Ecclesiasticorum.

Ante, 2. Q. solutionem, notan- 19
 dum est, gabellam apud Toletum *l. 5. Instruct. sacerdot. cap. 72.* dici tributum

butum publicum à Principe in communem utilitatem exactum; tributum verò vocat id, quod aliquis dat, seu contribuit, sive pecunia sit, sive pecuniâ æstimabile.

Gabella autem dicitur, & sumitur à DD. variis modis, & nominibus, quorum usitatiores sunt sequentes modi. Primo modo dicitur vectigal, à vehendo, quod de mercibus in civitatem invehctis, vel evectis solvitur. Dicitur etiam portorium, eò quòd solvatur in porta Civitatis, item Dogana, & pedagium. Alter modus est, quo solvitur pro ducatu, & habilitate viarum, ut viator commodum, & securum habeat iter à latronibus, & tunc quidagium dicitur quod aliquando è mercibus, aliquando è sola persona solvitur. Tertius modus est, quo solvitur ex his, quæ in Civitate emuntur, & venduntur, & dici etiam solet gabella, vocabulo restricto, commune applicando particulari. 4. Modò dicitur Talia, id est, Summa aliqua, quam Princeps aliquando pro occurrentibus necessitatibus exigere solet ab inferioribus. Cæterum in ordine ad obligationem solvendi, horum diversitas non est nisi materialis.

20 Notandum 2. ad hoc, ut gabella, tributum, vectigal &c. justum sit, & pro justo habeatur, quatuor ab AA communiter requiri. Primò requiritur legitima potestas in eo, qui imponit gabellam, vectigal &c.

qualis potestas respectu subditorum cuilibet conceditur, qui regit multitudinem suis legibus, neque civile Jus, seu potestatem regendi ab alio superiore accipit. 2. Requiritur causa finalis, seu justitia ex parte finis, quem DD. Bartolum secuti, in ll. C. de vectigal. docent publicam esse utilitatem, atque necessitatem; gabella quippe, tributum &c. non contribuitur, nisi in bonum, & utilitatem publicam: unde & quæ Principi dantur ad ejus sustentationem, cedunt in bonum publicum, quatenus ipsa Regis, aut Principis conservatio est quædam publica utilitas. Notat autem hîc Tolet. l. c. cum aliis, illud in omni gabella necessarium esse, ut cessante fine propter quem imponitur, & ipsa cesset, nisi alius æqualis finis successerit: ex quo fit, inquit, ut multæ gabellæ multum ex injustitia ad mixtum habeant, aitque non excusari ab injustitia Principes, qui gabellas exigunt in proprios luxus & prodigalitates. 3. Requiritur justitia ex parte materiæ, ut scilicet materia legitima, supra quam vectigal imponitur, per se sint duntaxat res ad negotiationem, & mercaturam pertinentes, non item quas quis sive ex macello, sive aliunde ad suæ vitæ necessarium usum defert, prout non obscure definiunt leges Codicis l. universi Provinciales C. de vectig. & comm. l. omnium eod. tit. & tenent Tolet. l. c. Navar. Sal. Cajet. Rosell. Sylvest. Gabr. Medina Less. O-

stient, Angel. alii complures cum & apud Comitol. l. 6. q. 36. improbantes, & reiicientes contrariam consuetudinem, præsertim respectu pauperum. 4. Requiritur iustitia ex parte formæ, ut scilicet gabella sit moderata & servetur proportio inter subditos ratione tributi solvendi, ne plus pauperes onerentur, quam divites, cum iustitia potius postulet, ut qui plus habet, plus ab eo exigatur. Unde cum perdifficile sit, existere aliquod vectigal quatuor omnibus iustis causis communitum, idcirco canon *quamquam de censib. lib. 6. e. j. s. m. o. d. i. v. e. c. t. i. g. a. l. i. a.* præsertim nova, condemnat tanquam injusta. His notatis.

21 Ad 2. Q. defraudantes gabellas, & vectigalia non peccare graviter, ac proin non teneri ad restitutionem, censent complures cum Mart. Navarr. *in man. c. 23. à n. 55. Medin. 1. 2. q. 90. a. 4. Henric. tom. 1. l. 7. c. 36. §. 4. Tabiena v. pedagium. 8. & 9. Reginald. in praxi tom. 1. l. 15. c. 6. f. 6. Lud. Reja 1. parte Resp. cas. 13. Soto l. 3. de J. & J. q. 6. a. 7. Diana p. 1. tr. 10. R. 19. Eman. Sà v. gabella n. 6. Angel. v. pedagium. Lazar. aliisque Rationem dant. 1. Quia lex purè pœnalis sæcularis non obligat in conscientia ad pœnam æternam, juxta complurium gravissimorum Doctorum opinionem; defraudantes autem gabellas, & vectigalia transgrediuntur dumtaxat legem pœna-*

lem? ergo 2. Quia consuetudo moderatur legem, & interpretatur animam Legislatoris: ipsi autem Principes sciunt homines consuevisse gabellas defraudare, nec Confessarios sibi scrupulum facere de restitutione imponenda, dumque solam pœnam temporariam expriment & culpam subtrahent, hanc excludere videntur, nollesque subditos arctare ad pœnam æternam; præsertim cum in ferendis legibus ordinariè non utantur verbo præcipiendi, sed verbo statuendi sub conditione pœnali, & in dubio benignior interpretatio de voluntate Principis sit præsumenda, 3. Quia sicut transgressores exponunt se periculo perdendi omnes merces pro lucranda illa portione gabellæ debita, ita gabellarii exponunt se fortunæ lucrandi omnes easdem merces pro perdenda illa parte gabellæ: sicut ergo inveniunt eos, qui non solvunt, retinent in foro conscientiæ illas merces ut lege damnatas, ita non solventes retinent illam portionem debitam aliàs gabellæ, à lege seu tacito Principis consensu permittam. 4. Quia cum finis talium legum sit tantum temporalis, Reipubl. felicitas, & tranquillitas non postulat peccati reatum coram Deo, sed meris pœnis sufficienter obtinetur. Contra verò ejusmodi leges gabellarum, tributorum, vectigalium &c. obligare in conscientia, & obligationem restitutionis inducere, si constet, esse justè im-

imposita, docent, ac tuentur Covar. in regul. peccatum 2. part. §. 5. Sylvest. v. gabella 3. n. 21. Tolet. l. 5. c. 73. Molina D. 674. Less. l. 2. c. 33. dub. 8. Bannes 2. 2. q. 62. a. 3. Clavis Reg. l. 9. c. 16. Vasq. in opusc. c. 6. §. 3. dub. 2. Suarez. l. 5. de varietat. Legum human. c. 18. Castro l. 1. de leg. pœnal. c. 19. Bonnac. D. 2. q. 9. p. 1. n. 3. Wiestn. n. 82. Schmalzgr. n. 98. & teste Covar. citt. in cap. innovamus de censib. communis Canonistarum. Ratio est 1. Quia quod justè exigitur, non potest absque injustitia fraudari: sed gabellæ, & vectigalia justè exiguntur; uti ponitur; ergo non possunt absque injustitia fraudari; tenemur enim reddere Cæsari, quæ sunt Cæsatis & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22. & ad Romj 13. cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.

2. Quia subditi, seu membra Communitatis ob curam, & operam, quam Princeps impendit in regenda, & defendenda Communitate, tenentur ex justitia eidem suppeditare justum stipendium, & subsidium necessarium ad conservationem publicæ tranquillitatis; dignus est enim operarius mercede sua: atqui tributa, & vectigalia justa non aliud sunt, nec aliud hinc intelligitur, quam necessaria stipendia illius, qui communitati operam præstat, ac moderatur, atque communium necessitatum subsidia: ergo debentur ex justitia, sicuti pari modo decimæ ex justitia debentur

Prælati, & Ecclesiasticis ob curam & administrationem rerum spiritualium. Dixi vectigalia justa; nam si constet esse injustè imposita, quia scilicet constat aliquam ex conditionibus requisitis, ut tributum sit justum, deficere, tunc nulla datur obligatio ad illorum præstationem, ut rectè docent citti. Doctores, quia lex injusta non obligat, imò omninò nulla est, si causa, & potestas in imponente deficiat. Quod si ejusmodi exactio injusta sit solùm quoad quantitatem, vel proportionem distributivam, erit pariter indebita solùm quoad excessum.

Ex his duabus sententiis præplacet, ac præferenda est posterior affirmativa, utpote & ab auctoritate, & à ratione probabilior: unde Sylvest. l. c. ait, omnes Doctores, & Summistas communiter tenere, peccare eos & obnoxios esse restitutioni, qui justa fraudant vectigalia. Unde

Ad argumenta pro priore sententia negativa allata respondi potest. Ad 1. n. min. quòd leges tributorum, vectigalium, & gabellarum justæ, sint leges duntaxat merè pœnales, cum non tantùm, statuant, & præcipiant, quid sit agendum, sed insuper respiciant, ac determinent justum stipendium pro sustentatione Principis, vel subsidium communis necessitatis, & tranquillitatis, ut notat. Less. l. c.

n. 59. atque adeò sicut aliæ leges taxantes certum pretium obligant in conscientia, ita & leges tributorum justæ, & legitime promulgatæ. Ad 2. R. ejusmodi consuetudinem, si qua est, fore illegitimam, utpote non introductam conscio, aut tacite consentiente Legislatore, sed eo resistente, & severe transgressores omnes puniente; quæ proin legibus justis aliquid absolute præcipientibus, quales sunt leges tributorum &c. præjudicare non potest, in quantum obligant in conscientia. Nec obest praxis Confessariorum; nam si hi restitutionem non urgent, ideo fit; quia sciunt oppositam sententiam esse etiam probabilem, & pœnitenti licere sequi sententiam probabilem sibi, & rebus suis favorabiliorem. Id, quod advertit Driedo l. 2. de libert. Chris. c. 5. apud Molinam l. c. ubi ita ait: *Ceterum quia his nostris sæculis impositiones, seu exactiones vectigalium, seu pedagiorum propter aliquam ex supradictis quatuor causis contingit, plerumque esse illicitas, ideo non facile injungendus est scrupulus ejusmodi vectigalia defraudantibus, præsertim pauperibus, &c.*

Ad 3. & 4. R. per id non satis consultum esse Legislatore, & fini legum justarum, qui est justum Principis stipendium, vel subsidium publicæ necessitatis; nam cum hujusmodi legum transgressores rarissime deprehendantur, per eas pœnas nullatenus compensaretur

defectus tributorum aliàs solventium.

Ad 3. Q. an quando dubitatur de justitia vectigalis, tributi &c. an scilicet hæc sint justè, vel injustè imposita, sit obligatio ea solvendi? distinguunt DD. inter tributa antiqua, & nova, & siquidem sint antiqua, de quorum initio non extat memoria, affirmant communiter, ea à subditis in conscientia deberi, quoniam præsumendum est, ex justa causa fuisse imposita, cæteraque necessaria, ut fuerint justa, intervenisse; & quoniam in dubio melior est conditio possidentis, Princeps autem est in possessione accipiendi ea tributa, idcirco ea tanquam sibi verè debita meritò exigit, & accipit. Si verò sint tributa, & vectigalia nova, & non constet de illorum iustitia, an desit aliquid ex requisitis, ut sint justa, controvertunt DD. inter se divisi. Dari obligationem solvendi in dubio negativo (in dubio enim positivo potest quis se accommodare sententiæ probabili, sibi & suis rebus favorabili) docent Navar. l. 3. c. 1. n. 23. Less. Vasq. Suarez, Fill, eman. Sà aliique satis probabiliter; quia in dubio negativo præsumendum est, vectigal esse justè impositum, cum in hujusmodi dubio præsumendum sit in favorem Superioris, seu Principis possidentis facultatem præcipiendi. Idem sentiunt multi cum Suarez de leg. l. 4. c. 18. de tribut. etiam de dubio positivo, saltem quan-

quando superior est jam in possessione exigendi vectigalia, quâ in dubio spoliandus non est.

24. Contrâ verò quando de justitia dubitatur, an scilicet desit aliquid ex requisitis, non esse in conscientia obligationem solvendi vectigalia, sed posse ea defraudari, absque perjurio tamen & mendacio, tenent Cajetan. v. *vectigal.*, Angelus v. *pedagium*, n. 6. Sylvest. v. *gabella* s. n. 9. Medina de rest. q. 13. Molina D. 674. Armilla v. *gabella* n. 17. Comit. l. c. q. 35. Gabriel in 4. d. 15. q. 5. conclus. 7. Salon Arragon. alique. Rationem dant, tum quia in dubio melior est populi conditio possidentis sua bona, suasque pecunias; tum quia in jure ejusmodi nova tributa presumuntur ut injusta, quando de contrario non constat, unde c. *quamquam de censib.* l. 6. dicitur, tributa regulariter esse contra jura tum canonica, tum civilia. Et c. *pervenit de censib.* ait summus Pontifex necesse esse prius scire causam, propter quam census sit solvendus antequam solvatur. Quod si subditis causa tribuci alicujus reddatur, necesse est, ait Molin. citt. ut consulant peritos, debitamque adhibeant diligentiam ad justitiam, vel injustitiam illius indagandam, ne fortè Principem debito privent tributo; interim tamen dum de justitia causæ illius non constat, non teneri eos in conscientia.

R. P. Leonardelli, Soc. Jes.

tia solvere tale tributum; Principem verò, qui dubitans an causa sit justa, tributum imponit, lethaliter peccare, quoniam periculo se exponit, injustitiam exercendi in subditos,

Nec obstat hîc, inquit, Angel. l. c. id, quod quidam dicunt, scilicet, quando anceps est vectigalium justitia, favendum esse Principi, & vectigalia pro justis habenda ac solvenda; nam multò magis, ait, favendum est Canonico, quamquam de censib. lib. 6. qui ferè vectigalia, præsertim nova condemnat tanquam injusta. Si itaque studendum est Principi, studeamus, inquit, totius Christiani populi Principi, ac Pastori, summo Pontifici, qui in illo Canone loquitur. Unde Cajetanus l. c. *tot, condiciones*, inquit, *exiguntur ad justa vectigalia, ut difficile fortè sit invenire vectigalia justa; & propterea meritò damnata regulariter dicuntur utroque jure.*

Hæc multorum probabilis sententia locum præcipuè habere poterit tunc, quando de vectigalis justitia non constat, sed de ea doctorum, proborumque hominum judicio meritò dubitatur. Cæterum in praxi Confessarii sequi poterunt Consilium, quod eis dant Sylvest. l. c. & Molina l. c. n. 9. conclus. 5. ut scilicet in dubio ante factum inclinent poenitentem

D

ad

ad solutionem, præsertim quando solutio ex illo exigitur; post factum verò non cogant restituere, ne præcipiendo in eo eventu restitutionem exponant se periculo auferendi, quod suum est, ab eo, cui ita restituere præcipiunt.

Porro notat hîc cit. Toletus ex communi aliorum, neminem teneri reddere pœnam impositam non

solventibus gabellas, quamvis non solverit, nisi prius condemnatur per Judicis sententiam, v. g. si pœna sit, ut qui non solvit gabellam perdat totas merces, si quis solvere noluit, quamvis peccaverit, non tamen tenetur talem pœnam reddere, donec per Judicem condemnatur ad solvendum.

